

\* marina, na  
tura graui-  
or, magis in  
uecta susti-  
net.  
dubie. Ideo & \* marina, quarum natura grauior, ma-  
gis inuecta sustinent. Quedam vero & dulces inter se  
supermeat alias. Ut in Fucino lacu inuectus amnis, in  
Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Min-  
cius, in Seuino Olius, in Lemano Rhodanus, hic trans  
alpes, superiores in Italia, multorum milium traxitu  
hospitales suas tatum, nec largiores q̄ intulere aquas  
euehētes. Proditū hoc & in Oronte amne Syrie, mul-  
tisq; aliis. Quidā vero odio maris ipsa subeunt rada,  
sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo reddūtur ia-  
cta in Alpheū: qui per Olympiā fluēs, Pelopōnesiacō  
littori infunditur. Subeunt terras, rursusq; reddūtur,  
Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Meso-  
potamia. Et qua in Aesculapij fonte Athenis immer-  
sa sunt, in Phalerico redduntur. Et in Attinate campo  
fluvius mersus, post xx. M. pass. exit. Et in Aquileiensi  
Timanus. Nibil in Asphaltite Iudeæ lacu, qui bitu-  
men gignit, mergi potest: nec i Armenia maioris Are-  
thusa: is quidē nitrosus pisces alit. In Salentino iuxta  
oppidum Manduriam lacus ad margines plenus, neq;  
exhaustis aquis minuitur, neq; insufis augetur. In Ci-  
clonū flumine, et in Piceno lacu Velino lignū deiecitū,  
lapideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flu-  
mine, adeo ut lapidem plerunq; durans adhuc integat  
cortex. Similiter in flumine Silaci ultra Surrentum,  
nō virgulta modo immersa, verū & folia lapidescūt,  
alias salubri potu eius aqua. In exitu paludis Reati-  
nae saxū crescit. Et in rubro mari olea, virētesq; fruti-  
ces enascuntur. Sed & fontiū plurimorum natura, mi-  
ra est feruore. Idq; etiā in ingle alpium, ipsoq; in mari  
inter Italiam & Aenariam, ut in Baiano sinu, & in  
Liri fluo, multisq; alijs. Nam dulcis haustus in mari  
plurimi locis, ut ad Chelidonias insulas & Aradum,  
& in Gaditano oceano. Patauorum aquis calidis  
herba virētes innascuntur, Pisanius rana, ad Vetus  
nios in Hetruria nō procul à mari, pisces. In Casinate  
fluvius appellatur Scatebra, frigidus, abūdātor aste-  
te. In eo, ut in Arcadiā Stymphalizena scūtatur aquati-  
les musculi. In Dodone Iouis fons cū sit gelidus, & im-  
mersis faces extinguat, si extincta admoueātur, accē-  
dit. Idem meridie semper deficit, qua de causa Anapa  
uomenon vocant. Mox, increscens ad medium noctis  
exuberat: ab eo rursus sensim deficit. In Illyrijs supra  
fontem frigidum expansa vestes accenduntur. Iouis  
Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. In  
Troglodytis fons solis appellatur dulcis, & circa me-  
ridiem maxime frigidus: mox paulatim tepeſcens, ad  
noctis media feruore & amaritudine infestatur. Padi  
fons mediis diebus aetiis velut interquiescens semper  
aret. In Tenedo insula fons, semper à tertia noctis ho-  
ra in Sextam ab aetiō solsticio exundat. Et in Delo  
insula Inopus fons eodem quo Nilus modo, ac pariter  
cum eo decrescit augeturq; Cōtra Timauum amnem  
insula parua in mari est cum fontibus calidis, qui pa-  
riter cum aetu maris crescunt minuunturq;. In agro  
Pitinate trans Apenninū fluvius Nouanus omnibus

solsticis torrens, bruma siccatur. In \* Falisco omnis \* Falisco Cli-  
tūni amnis aqua pot.  
aqua potata candidos bones facit: in Bæotia amnis  
Melas oues nigras, Cepbisus ex eodē lacu profluens, al-  
bas, rursus migras Penius, ruffasq; iuxta Ilium Xan-  
thus, vnde & nomen amni. In Ponto fluvius Astaces  
irrigat campos, in quibus pasta nigro lacte & que gen-  
tem alunt. In Reatino fons Neminus appellatus, alio  
atq; alio loco exoritur, amnō mutationem signifi-  
cans. Brundisi in portu fons, incorruptas præstat  
aquaſ navigantibus. Lyncestis aqua, que vocatur aci-  
dula, vini modo temulentos facit. Item in paphla-  
nia, & in agro Caleno. In Andro insula templo Libe-  
ri patris fonte nonis Ianuarij semper vini sapore flue-  
re Mutianus ter C O S S. credit: Diotecnosia vocatur.  
Iuxta Nonacrim Arcadia Styx, nec odore differens,  
nec colore, epota illico necat. Itē in Beroſo Taurorum  
colle tres fontes, sine remedio, sine dolore mortiferi.  
In Carrinensi Hispanie agro duo fontes iuxta fluant,  
alter omnia respues, alter absorbens. In eadem gēte  
alius, aurei coloris omnes ostendit pisces, nihil extra  
illam aquam cateris differentes. In Comensi iuxta La-  
rium lacum fons largus, horis singulis semper intume-  
scit ac resedit. In Cydonia insula ante Lesbon fons ca-  
lidus, vere tantum fluit. Lacus Sinnaus in Asia cir-  
cumnascente absynthio inficitur. Colophone in Ap-  
pollinis Clarij specu lacuna est, cuius potu mira red-  
duntur oracula, bibentium breuiore vita. Amnes re-  
tro fluere & nostra vidit aetas, Neronis principis an-  
nis supremis, sicut in rebus eius retulimus. Nam omnes  
fontes aestate q̄ hyeme gelidiores esse, quem fallit? Si-  
cunt illa permira natura opera, æs & plumbū in mas-  
sa mergi, dilatata fluitare. Eiusdemq; ponderis alia  
sidere, alia inuehi. Onera in aqua facilius moueri.  
Thyrrēum lapidem quamvis grandem innatare, eun-  
demque communatum mergi. Recentia cadanera ad  
vadum labi, intumescentia atollit. Inanis rasa haud fa-  
cilius quam plena extrahi. Pluuias salinis aquas vili-  
ores esse, q̄ reliquas: nec fieri salē nisi admixtis dul-  
cibus. Marinas tardius gelare, celerius accēdi. Hyeme  
mare calidius esse, autumno salius. Omne oleo tran-  
quillari. Et ob id vrinantes ore spargere, quoniam mi-  
tiget natura aspera, lucemq; deportet. Niues in alto  
mari non cadere. Cum omnis aqua deorsum feratur,  
exilire fontes, atq; etiam in Aetna radicibus flagran-  
tis in tantum, ut quinquagena & centena milia pass.  
harenas flammorum globus eructet.

Ignium & aquarum iuncta miracula,  
& de maltha.

CAP. C.III.

**I**amq; & ignium, quod est natura quartū elemen-  
tum, reddamus aliqua miracula. Sed primum ex  
aquis. In Cōmagenes vrbe Samosata stagnum est,  
emittens limum (maltham vocant) flagrantem, cum  
quid attingit solidi, adhæret, præterea tactus sequitur  
fugientes. Sic defendere muros oppugnante Lucullo,  
flagrabatq; miles armis suis. Aquis etiam accēditur.  
Terra tantum restingui docuere experimenta.

De Na-